

ILLUS. JUNIO
BOBALI ANDREÆ FI-
LIO RAGVSÆO.

IOANN. BAPT. PORTA NEAP.

S. P. D.

 LTERAM, quæ domierat
filiam Illustr. Iuni incita-
tam, & ad te properantem
vix inhibere potui: ingen-
tes, quas de suo viro soror laudes retu-
lit, adeo generosa invidia ejus animum
replevere, ut omni abrupto continen-
tiæ, & honestatis vinculo nequeat sibi
temperare, quin clamet, non alium,
quam te virum expetere, cui si ipse de-
negatus sis, in suis laribus cōsenescere
potius, quam aliorum velle subire pe-
riculum. Etenim si inter se conferan-
tur,

* 3

tur,

EPISTOLA

tur, non indignior sorore sibi videtur. Si illa causas rimatur, ipsa parit effectus, si illa contemplatur, ipsa satis agens ea, quæ sub contemplationem cecidere in hominum lucem venire proponit, & si illa ob inventionem superbit, ipsa ob portentosas operationes non minus ambitiosa est. In quibus non animus solum enutritur intelligendo: sed sensus quoque corporis omnes effectibus alliciuntur, recreanturque. Hæc igitur Magia omnes alias scientias excellit, (divinam tamen Philosophiam excipio) ut illi ceteræ artes atque facultates, tanquam regina, famulari videantur. Scribit Cicero: Neminem apud Persas Regno potiri solitum, qui prius Magiam non percepisset. Et Plato in Alcibiade: Imbuuntur Persarum Regum filii, ut ad mundanæ reip. exemplar, & ipsi suam remp. administrare, distribuereque condiscant. Quid commemorem toto fere orbe clarissimos

DEDICATORIA.

*risimos Pythagoram, Empedoclem,
 Apollonium Tyaneum, ac Platonem,
 qui illius desiderio sic flagraverunt, ut
 ad eam discendam orbem peragrave-
 rint, exiliis potius, quam navigationi-
 bus susceptis, eam reversi predicave-
 rint, eam in arcanis habuerint? Quid
 Reges Magos ad adorandum Christum
 venientes, ceterosque multos in hac
 arte praeclaros, quorum nominibus an-
 tiquorum monumenta completa sunt?
 Sed quis meos labores, vigilias, & im-
 pensas, quas in exornanda hac mea fi-
 lia, ut te digna aliquando videretur, ex
 aequo perpendet; ne in nobilium ope-
 rum æmulatione suæ sororis invidiâ
 extabesceret? Summa est, quum sorore
 non inferior sit, inferiori viro nubere
 dedignatur. Vos enim ex eodem san-
 guine prognati, iisdem Natura, & For-
 tune muneribus exornati, ejusdemque
 animi, & oris indolis, & præstantiæ.
 Si in uno Alexandri, in altero Cæsaris*

* 4 magni-

EPISTOLA DEDICATORIA.

magnificentia est. Si in uno Fabiorum, in altero Scipionum robur : non tam alter sapiens , quam alter prudens , ac tandem, ut uno verbo referam, ita morum integritas , incredibilis humanitas , ceteraque vestra virtutes inter se certant : ut dum alia aliam superare nititur, in hoc præclaro insignium virtutum certamine, unaquæque se ipsam superans , vos ipsos omni earum pompa, & triumpho coronant. Ipse autem, qui hæc fateri cogor, & quum nil votis expetitum magis sit , non invitus pareo. Ad te illam mitto. Sed in tanto amore , ne mei obliviscaris. Vale , ac Marino, & Michaeli fratribus tuis meo nomine salutem dic.

A D